

Concilium  
Lim. 3.  
pactionem  
omnem  
excludit.

bet: Pactiones quasumque tacitas vel expressas pro Sacramentis administrandis, aut sepulturâ conferendâ sacri Canonis tamquam simoniacæ labis commercia fœdissima detestantur: laudabiles tamen consuetudines in populo Christiano receptas amplectuntur, & probant. Sic ibi Concilium: quod tamen statim circa Indos ita obseruandum præcipit, vt nihil ab ipsis pro talibus, aut etiam pro Sacramentalibus exigatur aut recipiatur, sub pœna quadrupli: redditâ ratione, quia ad Neophytorum fidem stabiendam magnopere id necessarium est, & sine scandalo nequit contrarium admitti. Quod quidem in Æthiopicis vim habet eamdem, qui & Neophyti sunt, & magis quàm Indi humanis prædiis destituti.

Consuetudines  
quæ  
tolerari  
queant  
circa  
di-  
ta.

22 Non prætereunda tamen Sanctionis illius conclusio, quæ sic habet: Quicumque tamen Indorum in Hispanorum urbibus domicilium habent, quia & in fide instructiores sunt, & nostrorum hominum usum crebrè affectant, cum ijs poterunt consuetudines in sepulturis, & ceteris, si quæ sint laudabiles, obseruari. Hæc Concilium. Quæ quidem & erga Æthiopes obseruari licet, sed moderatione dictâ circa consuetudines, si quæ sint laudabiles: quæ desumpta est ex Cap. Ad Apostolicam, de simonia, in quo de benedictionibus nuptiarum inter alia agitur, sicut & in Cap. Cum in Ecclesia, vbi consuetudines generaliter remouentur, quibus potius peccata cumulantur. Putant autem plures ex hoc licere (verba illius sunt) quia legem mortis de longa inualuisse consuetudine arbitrantur: non attendentes, quod tanto grauiora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam. Sic ex Concilio Lateranensi. Talis autè est consuetudo, vt à seruis iura nuptiarum sic exigantur, vt non valentibus reddere, nuptialis assistentia & benedictio denegetur. Et in legibus quidem humanis ob paupertatè rigor illarum temperatur, vt in Cautione Mutiana: de quo P. Molina Dissut. 206. s. Quando aliquis. Quomodo ergo rigor non sit in casu, de quo loquimur, vbi negotium animæ agitur, temperandus?

Cap. Cum  
in Eccle-  
sia, de Si-  
monia.

23 Dico Decimò. Cùm Missæ ab aliquibus dicendâ post mortem relinquuntur iuxta Executorum placitum, aut magis speciali determinatione, nequeunt Parochi superiori circa hoc etiam disponente potestatem, quartam eorum partem assumere, iuxta ea, quæ habet Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 22. num. 31. & in Politica pag. 687. s. Tambien & multò minus stipendium maius exquirere, quod nescio quomodo alicubi inualuit sine iuridico fundamento. Et quidem Testator, si viueret, eleemosynam pro Missis ad libitum posset impertiri: ergo & dum circa mortem disponit, idem facere potest, quia nullo iure illi absoluta dispositio prohibetur. Cumque Executores liberam etiam circa hoc dispositionem habeant, non debent ab eadem impediri, quia voluntas eadem Testatoris reputatur. Et verò si Executor quidquam circa dispositionem Testatoris immutet, recusari potest ab ijs, quorum interest, & ab officio remoueri, per Textum & Doctores, quos adducit Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 2. Cap. 6. num. 4. & P. Sancierus Lib. 4. Consiliorum, Cap. 1. Dub. 61. Ex quo fit extraneum non posse agere vt talis voluntas immutetur, cui nullo modo Testator vo-

Afferio 10.  
Circa  
Missas à  
Testatori-  
bus reli-  
ctas, notân-  
da doctrina.

luntatem suam voluit commendatam. Stipendij etiam augmentum minimè etiam tolerandum est, quod & contra Testatoris est voluntatem, & cum legatorum aliorum detrimento, aut etiam Testatoris ipsius, si Missæ ea de causa ad minorem numerum reidantur. Nec valet si dicatur, stipendij designationem arbitrio Prælatorum referuari: licet enim id verum sit: positâ tamen stipendij taxâ pro virorum eleemosynis, eam pro defunctis augere, contra omnem videtur æquitatem; cum illis enim magis piè & liberaliter est agendum: neque in dicentibus Missas labor aliquis peculiaris accrescit, vt inde stipendium debeat accrescere, & ita iniustitia in eo manifestè videtur deprehendi, sicut esset si pro Missis viuorum ea inæqualitas statueretur. Et quemadmodum in assignatione pretij contingeret, si vnum pro quibusdam, aliud pro alijs esset. Nisi fortè pro exteris esset maius, quàm pro indigenis, quod aliquando licitum esse tenet P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. num. 30. cum P. Molina Dissut. 246. & alijs. Quod quidem in casu nostro locum non habet, quia Testatores pro extraneis habendi non sunt, neque animæ; pro quibus dicendâ Missæ, vt extraneæ tractandæ, quas ad corpus Ecclesiæ Christi pertinere constat, & Ecclesia pia mater singulari affectu complexatur. Neque dici vltierus potest aliquid addendû stipendio, quod labori Collectoris responderet: quia & hoc contra voluntatem Testatoris est, qui non per Collectorem, sed per Executorem vult negotium dictum expediri, ad quod, si negligens fuerit, poterit Ordinarij officio compelli: vel certè si Collectori quidquam conferendum, id communi stipendio detrahatur, sicut pro vino, cerâ, & alijs detrahi solet.

Stipendij  
non posse  
augeri

Sicut nec  
pretium,  
nisi forte  
pro exte-  
ris.

Neque ob  
laborem  
Collectoris.

S. V.

De quarta funerali ac Canonica portione ab Indicis Parochis exoluendâ.

24 Dicitur de hoc Titulo 13. numer. 79. & 84. sed ampliorem declarationem in locum præsentem referuauimus, vbi non vacat rem ex professo persequi, de qua multa Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 22. & in Politica Lib. 4. Cap. 22. sed specialia quædam adscribere, & Parochorum conscientias satis in hoc gratâtas delinire: non quidem placendi studio, sed sacrarum legum moderatione sanis oculis præsentatâ. Pro quo suppono circa hoc standum esse consuetudini, vt habetur in Cap. Requisisti, de Testamentis. Et in Cap. Cerrificari, de sepulturis, in quo sic loquitur Clemens Tertius inductâ Diui Hieronymi auctoritate: Vnaquæque Prouincia in suo sensu abundet secundum rationabilem consuetudinem regionis, illa iustitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem, pro locorum diuersitatibus attendatur. Sic Pontifex. Circa quod Zerola in Praxi Parte 1. Verb. Legatum, s. 3. Conclus. 5. Et quod de quantitate dicitur, ad alia est pariter referendum propter eamdem rationem, ad ea scilicet, ex quibus Quarta solui debeat: in hoc enim magna varietas esse potest, vnde & variâ etiam sunt circa hoc iuris Canonici decisiones, vt videri

Dicendâ  
ratio.

Standum  
esse consue-  
tudini cir-  
ca illud.

Cap. Cer-  
tificari, de  
sepulturis.

specialiter

Rationabili-  
silla fu-  
rura, &  
que talis  
dicatur.

Peculiaris  
sola genuina  
explicatio.

Materia  
presenti ac-  
commoda-  
tur.

In Lusita-  
niâ nihil  
olim datû.

specialiter potest in Cap. De ijs, quod est finale de Testamentis. Cap. Com inter. & Cap. Ex parte 3. de verborum significat. Neque consuetudo quæuis, sed rationabilis attendenda, vt ex tenore decisionis constat, & sic intelligendum, quamuis id non exprimeretur, quia, vt ait Panormitanus in Cap. Com venerabilis, de consuetudine, irrationabilis non meretur nomen consuetudinis. Quæ autem consuetudo rationabilis dicatur, diuersimodè Doctores conantur exponere, sed non omnes id assequuntur, vt videri potest apud Dianam Parte 6. Tractat. 5. Resol. 1. Omnes enim dicunt rationabilem esse, quæ est iuxta rationis æquitatem. Sed hoc opus, hic labor est, in declarando inquam quando contra rationis æquitatem sit, quia potest esse consuetudo contraria legi, lex autem valdè est rationis æquitate conformis; & nihilominus non esse irrationabilis, sed legem posse per consuetudinem abrogari. Sed his non obstantibus iuxta prædictum dicendi modum explicari potest, vt tunc consuetudo rationabilis dicatur, quando attentè considerata nihil dissonum ex se importat, neque oculos prudentium offendit: si secus autem accidat, irrationabilis censenda est, quia videlicet sine inuentum offensione stare nequit, & ita rationi contraria est, hoc est, benè formato discursui, cui lumen rationis alluistit. Sicut enim contra rationem agit quis, dum ab eo recedit, quod ipsi vt conueniens proponitur, ita erga aliorum actiones eius debet iudicium regulari: vt scilicet contra rationem in alijs esse iudicet, quod ipse in se tale reputat, vnde nec faceret, si iuxta rationis operaturus esset æquitatem. Qui explicandi modus iuxta eorum mentem æstimari potest, quos adducit Diana pro sua sententiâ, quam sic possumus aliquatenus illustrare. Pro quo & videndus P. Becanus de Legibus, Cap. 8. quæst. 6. num. 4.

25 Iuxta quæ in materia præsentis dicere possumus consuetudinem rationabilem eam esse, ex quâ nihil offensionis habetur: quod equidem contingit siue parum, siue nihil Parochi Episcopis soluant, Canonice nomine portio. Et alicubi nihil solui, ex Vincentio & Hostiensis affirmat Ioannes Andreas in Cap. Requisisti, citato. & alios pro eodem adducit Dom. Solorzanus supra, num. 19. & in Politica pag. 684. in fine. Id quod iam olim pro Lusitaniâ constitutum est ab illius Prouinciæ Concilijs, vt constat ex Cap. Placuit, & Cap. Præcis, 10. quæst. 3. pro quo & videndus P. Azor Tomo 2. Lib. 9. Cap. 12. Quæst. 3. Alibi aliter, & quidem parum. Ex quo nullus offenditur, quia sciunt Episcopis abundè alimenta suppetere, & aliundè æquitati consonum est, vt quæ donantur Ecclesiæ Rectori, plene habeat, eum ex eis Ecclesiæ ipsius fabricæ & ornatum debeat viuens & moriens prouidere. Non ita verò accidet, si ea, quæ Rectoribus donantur, sic Episcopi participare velint, vt & illi parè viuant, abundantibus Episcopis, & Ecclesiis sine ornatu & decore vilescant, aut excessus quartæ sit, eum tamen esse non debeat: sicut enim Canones de tertâ etiam, immò & aliquando de medietate disponant: cum tamen obseruandam consuetudinem dicant, & hæc generaliter sit recepta, vt plus quàm quarta non soluatur, excessus debet irrationabilis reputari. Siue quod nulli Episcopi

respondeat officio, vel allegetur sic exegisse antecessorem; cum tamen legitime præscripta esse debeat. Pro quo Zerola, & ipse Episcopus supra, ita scribit Conclus. 10. Cauere debent locorum Ordinarij, per prætextum quod ipsi inceperint exigere hæc quartam, intendant introducere consuetudinem, &c. addens sufficere decem annorum spatium, quia consuetudo hæc est iuxta ius commune, & non contra illud. Vt tamen nec tempus sufficiat, etiam si longum sit, id facit, quod habetur in Cap. 1. de Consuetudine in Sexto, vbi consuetudo reprobatur, quæ de ambitionis radice processerit. Et potest causâ præsentem adaptari, vbi periculum est ne consuetudo ex radice tali, aut certè consimili, radice inquam amaritudinis fursum germinante, iuxta Apostoli doctrinam, oriatur.

Zerola

Cap. 1. de  
Consuet.  
in 6.

26 Est insuper aliud circa consuetudinem dictam obseruandum, quod scilicet non vi aut metu introducta sit; si tamen reuerà aliud est hoc: nam dici potest eo ipso quod rationabilis esse debeat, id satis indicatum: irrationabile enim videtur, vt per id, quod vi & metu extortum est, & semper inuitè & coactè tributum, ius legitimum legi æquiualens acquiratur. Hac enim de causâ in citato Capite de Consuetudine reprobatur illa tamquam corruptela, quæ de ambitionis radice processerit, quia valde dissonum est, vt ambitio in legem transeat, & super iniustitiam regula iustitiæ fundetur. Quando autem vi & metu consuetudo inducitur, idem accidit, quia de auaritiæ radice procedit, armis, quibus resisti nequit, roboratâ. Hinc est vt si per vim aut metum grauem populus aliquid faciat, etiam per longum tempus, talis consuetudo non debeat legitime introducta reputari. Quod declarauit sacra Rota in vna Giennensi, Portionis, die 13. Nouemb. 1613. Pro quo & Doctores alios adducit Diana supra, Resol. 9. Vbi alia ratio occurrit, propter quam talis consuetudo non debeat censi legitima: nam qui reluctantes faciunt, nolunt suo facto consuetudinem firmare, & arma contra se tribuere: cum tamen ad legitimam consuetudinem necessarium sit, vt qui actus frequentant, eo faciant sine, introducendi scilicet consuetudinem, & consequenter obligationem, vt tenent Doctores, quos adducit citatus Auctor Resol. 10. & alij quos citat & sequitur Sayrus in Clauis regiâ, Lib. 3. Cap. 11. numer. 9. Pro quo non præmittenda verba Domini Socii Lib. 1. de Iustitiâ, Quæst. 7. Art. 2. vbi sic ait: Periculum existit inter viros potentes, vt si semel vasalli urbanitatis ac beneuolentiæ gratiâ domino ac patrono suo munuscula obrulerint, statim urbanitas in consuetudinem rapitur, & gratia in ius debitum conuertitur. Sic ille. Quod quidem periculum in Episcopis Indiarum est etiam præsentissimum, dum de quarta agitur: quorundam enim liberalitas in consuetudinem aduocatur, & ius ex gratiâ conficitur, quadam minimè probandâ conuersione. In quibus etiam quod de vi & metu est dictum, pariter locum habet; timent enim Parochi eorum indignationem, quæ carò illis constare potest, dum non leuiter aggrauantur ob criminationes obiectas, mittuntur iudices, suspenduntur ab officio, & spes illis meliora ad Beneficia refectatur. An hæc leuia sunt? Nec mirandum si accidant vbi auaritia cœperit imperare. Et præfata positio verbis Gregorij VII. coronanda, qui Cap. 5. de

Consuetudinem  
vi  
introducendâ  
non valere.

Nona pro  
eo & vrgēt  
ratio.

Dominicus  
Socius.



Cap. 5. de Regulis Iuris.

Consuetudo in praxi quando legitima iudicanda.

In Indijs quid speciale.

regulis iuris ita loquitur: *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicitè introductum est, nullà debet habilitate subsistere.*

27 Quia verò circa prædicta possunt dubitationes frequentes suboriri, videndū quo pacto se gerere debeat, quibus onus solutionis imponitur. Potest ergo dubitatio esse circa consuetudinis rationabilitatem, & circa illius præscriptionem. In quo quidem proborum & peritorum consilio res erit transigenda. Et quod ad tempus attinet, sic sentiunt Dominicus Sotus, Medina, P. Granadus, & alij apud Dianam *suprà*, Resol. 2. Circa quod & Sayrus *suprà*, n. 8. §. *Sin verò*, cum alijs, & præsertim cum P. Valentia Tomo 2. *disp. 7. quæst. 5. Punct. 8.* qui dicunt pro temporis & rei gravitate requiri communem estimationem bonorum ac prudentiū, ut illud sufficiat, vel non sufficiat, prout ipsi æquum & iustum iudicaverint. Idem autem de rationabilitate dicendum ratio eadem persuadet. Quòd si circa vnum aut aliud diuersa prædictorum sententia sit, probabile negotiū relinquatur, vnde & sequi is, cui id constiterit, securè poterit quam maluerit opinionem. Quod quidem cum generale sit, in causā, de quā agimus, specialem non habet difficultatem: id tamen addendum, ad iudicandum in Indijs consuetudinem contrariam populo, quod & suo modo in Ecclesiasticis procedit, rationabilem esse, & legitime præscriptam, maiora quàm alibi fundamenta requiri, ob acriores auaritiæ stimulos, quibus aliquando inducitur consuetudo, quæ non solum corruptela dicenda est, sed tyrannis manifesta, iam pridem damnata à Concilio Cabilonensi, ut habetur in Cap. *Quia cognouimus*, 10. *quæst. 3.* Pro quo & Dom. Solorzanus Tomo 2. *Lib. 3. Cap. 22. num. 29.* qui & *num. 22.* bonis testibus affirmat Prælatorum aliquos hac in parte valde Iuris dispositiones extendere: quam damnabilem extensionem Reges nostri abolendam prouiderunt, datis super eo rescriptis, de quibus *numer. 21. 25. & 26.* & in *Politica Pag. 687. §. I. quæst. es.* Quibus positis, ut ad resolutionem veniamus, & quod est veritati conforme pronuntiemus, pro eo deseruiet sequentes

*Affertiones circa Quartæ obligationem.*

Affertio 1. Episcopus Indiarum illam exigere posse.

Affertio 2. non posse plus quam illam.

Affertio 3. Episcopus Indiarum illam exigere posse.

28 Dico primò. Episcopi Indiarum possunt Quartam iuxta Iuris dispositionem exigere. Sic Regio est rescripto dispositum, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *suprà*, *numer. 21.* & Concilium Limese tertium approbatum à Sixto V. *Act. 4. Cap. 20.*

Dico secundo. Plus quàm quartæ exigere non potest, etiam si Canones mediocritatem, aut tertiam partem soluendam esse deciderint. Probatur ex nuper allatis, quia quartæ solum exactio permittitur, & illa sola iam est in vsu, ut diximus *num. 25.*

Dico tertio. Cum Ius disponat ut circa hoc laudabiles consuetudines obseruentur, illæ profectò obseruari debent, & iuxta eas exactio fieri. Constat ex dictis *num. præcedentib.* Quòd si tales non appareant, aut de illis opiniones sint, ex dictis etiam constat quid agendum sit.

Dico quarto. Non est laudabilis consuetudo ad certam summam quotannis Parochos obliga-

te. Id liquet: nam consuetudo talis damnata est in Regio Indiarum Senatu, & pro eo extat scheda citata *Affert. 1.* Non ergo laudabilis reputanda est, quæ à tot sapientibus, grauib. præmissis querelis, reprobata est, & magnis inconuenientibus, ac præsertim ex multiplici Indorum grauiamine emergentibus, est obnoxia iudicata.

29 Dico quinto. Affertio præfata intelligenda est de summâ determinatâ, quæ debitam portionem excedat: si enim ea talis sit, ut plus aliquantulum minus contineat, non videtur improbanda, ut dixi *Titulo 13. num. 84.* Quod quidem ex citatâ schedulâ constat, quâ ratio decisionis his verbis proponitur: *Porque los Clerigos por tener grato al Prelado, y à sus Visitadores, se esisten den à dar mas de lo que les pertenece por esta portion, y todo viene à salir y cargar sobre los Indios.* Quando ergo nihil tale accidit, non est cur determinatio dicta debeat improbari. Tunc equidem reprobanda quando is, qui alteri in Beneficio succedit, summam eandem exhibere compellitur; quia cum ipse nescius qualia sint, emolumenta, pro quo peculiaris experientia requiritur, in Beneficium veniat, non potest ad determinatam contributionem obligari. Sicut agricola ad certam adigi nequit decimæ portionem: in quo tamen compositio admittitur, iuxta diuersa Capita in *Titulo de Decimis*, & receptam consuetudinem.

Dico sexto. Qui ad certam summam obligari nollit, deberet librum ad scribendas obventiones habere, quia aliàs non posset id exequi, ad quod eius se extendit obligatio. Vnde & Episcopi poterunt Parochos ad eos habendos per Centuras obligare. Sic Dom. Solorzanus *suprà*, *num. 35.* quod & in Diocæsana Synodo Limesi *An. 1624.* statutum est *Lib. 1. Titulo 5. Cap. 10.* Et quòd circa hoc non admittantur conuentiones, in Synodo etiam Pacensi libri obligatio proponitur *Lib. 1. Titulo 2. Cap. 23.* & ratio est clara ex dictis quoad Parochos: Episcopi autem suo iure vtuntur, estque id expediens ad vitandas controuersias, & deonerandas conscientias Parochorum. Quo pacto vitari & medium aliud potest, iuramenti scilicet, quod Dom. Solorzanus, etsi absolute licere dicat *num. 34.* non tamen opportunum reputat; & merito, quia neque in solutione vestigalium, & Regiorum aliorum iurium, tale medium frequenter adhibetur. Vnde nec illud in Ecclesiasticis Prælatis conueniens appareret, in quibus minor erga res temporarias affectio debet residere. Libri ergo habendi præceptum, cum præcepto pariter, vt omnia, ex quibus quarta sit debita, conscribantur, ad negotium istud debet sufficiens medium iudicari.

30 Dico septimò. Ex iis, quæ à Testatore, vel Executoribus, Parocho tribuuntur, non vt Parocho, sed ex amabili alio respectu, non debetur quarta. Sic Doctores, quos adducit, Dom. Solorzanus *suprà*, *num. 31.* & in *Politica Pag. 688. Col. 1.* eisdem secutus. Ratio est, quia pro obligatione tali non est in Iure fundamentum: si enim Parochus non esset, & illi reliquerentur, ad nihil esset obligatus, vt habetur expressè in Cap. *Requisiti*, de Testamentis, in quo sic dicitur: *Illud autem est generaliter obseruandum circa eum, qui potest proprium possidere, prælationem vel administrationem Ecclesie non habentem; quod si aliquid*

Affertio 4. talem non esse, si eadè summa quotannis exigatur.

Affertio 5. posse aliquòd tolerari.

Regia scheda.

Affertio 6. tenere Parochos ad habendos libros circa quartam.

Quid de iuramento.

Affertio 7. non debet ex ijs, quæ Parocho vt tali non tribuuntur.

Cap. Requisiti, de Testamentis.

Ex emolumentis ob associationem funeralis an quarta Episcopis debeatur.

Quid pro parte affirmationis.

Quid pro opposita.

Quæ præfertur. Vbi vultis doctrinam.

aliquid ei relinquatur specialiter, non solum à propinquo, verum etiam ab extraneo, intelligitur esse relictum non intuitu Ecclesie, sed personæ, nisi probatio in contrarium appareret: & idcirco de illo nec Episcopus, nec Ecclesia potest in vita eius sibi aliquid vendicare. Et hoc intelligitur esse verum, cum fraus minime procuratur, quæ, si detecta fuerit, patrocinari non debet. Sic Innocentius Tertius. Cum ergo Parochus in casu de quo loquimur, perinde se habeat ac si talis non esset, neque intuitu Ecclesie à Testatore relicta, aut ab Executoribus oblata tribuantur; nihil est illis ad Ecclesiam aut Episcopum constare pertinere.

31 Et ex huius Textus decisione resoluendum venit dubium inter Capitulares, & Episcopos Indiarum exortum, dum isti contendunt Quartam sibi deberi ex mercede, quæ illis tribuitur ob associationem funerum. Quod quidem cum ad Regium Indiarum Consilium delatum esset, nihil ab eo decisum, iubente tantum vt Regia Limana Cancellaria super eo informaret, quibusque Archiepiscopis rationibus niteretur, & in quantam summam emolumentum istud quotannis euaderet. Sic refert Dom. Solorzanus *suprà*, *num. 32.* & in *Politica. 5. Y el Dean, & seqq.* addens non difficile potuisse Consilium questionem istam absolvere. Nam cum Quarta debeatur ex iis omnibus, quæ occasione superum ad Ecclesiam perueniunt, & ex elemosynis, quæ pro dicendis Missis Curatis tribuuntur, vt Auctores citati resoluunt: non videtur quo iure discrimen constitui possit in hac oblatione, seu satisfactione, quæ Capitularibus pro funere sociando præstatur, etiam si ipsi prætendant id totum veluti pretium laboris sui esse censendum. Nam hæc ratio æquè in Missis & alijs prætexti potuisset. Sed certè non pauci viri docti oppositum censuerunt, quod & Concilium Regium videtur indicasse, dum reddi sibi rationes iubet, quibus Archiepiscopus niteretur, quasi nouam & insolitam talem exactioem reputans, quæ videlicet in iure communi satis obuia, & tantis viris perspecta, fundamentum sufficiens non haberet. Et, vt dixi, ex allati Capitis tenore decidendum venit, dum ex iis, quæ intuitu Ecclesie non conferuntur, quidquam Ecclesie, aut Episcopo debitum inficiatur: atqui in associatione dicta nullus est Ecclesie intuitus, sed tantum peculiaris pompæ quæstuosus apparatus, cum Capitulari, vt dicitur, Companarum sono, qui vt talis ad peculiarem etiam honorem spectat; rarissime propterea à Testatoribus disposito, sed ab hæredibus, aut alijs, sui potius quàm defunctorum respectu habito, ne parci & ingrati in his supremis functionibus habeantur. Est enim stipendium ingens, quod à Capitulis est pro associatione huiusmodi constitutum. Et quidem intuitus specialem affectionem dicit, iuxta communem intellectum, pro quo Glossa in *curatum Cap. verb. Præsumitur.* & verb. *Nec est.* In casu autem nostro illa desideratur. Debet etiam quarta ex iis tantum solui, quæ quis relinquit pro anima sua in morte, iuxta Glossam in Cap. *Conquerente*, de officio iudicis Ordinarij, verb. *Mortuorum.* Præterquam quod merces laboris est, quæ minime fraudenda, iuxta generalem doctrinam, nisi vbi specialis iuris dispositio est, vt in Missis, & ita, vt odium, restrin-

genda, iuxta notam regulam: si tamen & in Missis res adeo certa sit, pro quo iam

32 Dico octauò. Non est omnino certum quartam deberi ex legato relicto Parocho Ecclesie, in qua quis eligit sepulturam; pro Missis per illum faciendis, licet Doctores aliqui ita sentiant apud Dom. Solorzanum *suprà*, *num. 31.* quibus addendus P. Azor *suprà*, *Cap. 13. Quæst. 7.* vbi post propositam questionem circa Quartam Parochialem, ita scribit: *Debetur, quæ Episcopalis etiam quarta ex illo soluitur. Cap. Cum inter vos, de verbor. significat.* Sic ille. Vbi cum vnicum Affertionis fundamentum sit citati Capituli auctoritas, videndum restat an tale sit, vt ex eo certà deduci resolutio queat. Et videtur quidem non certa, licet probabilis sit: quia licet in eo sic dicatur: *At Capellani prædictæ Capellæ dicentes primitias & decimas, vel ea, quæ offeruntur pro Missis mortuorum Sacerdotibus, & quæ pro Septimis, & tricesimis, & Anniversarijs, panes & alia, quæ intra hebdomadam offeruntur, & mortuorum iudicia oblationum nomine minime contineri: de his omnibus tertiam partem solvere vobis nolunt.* Licet inquam sic dicatur, & statim Honorij sententia sequatur, in hunc modum: *Volumus igitur & mandamus, vt per vestrum Clericum à vobis in eadem Ecclesia constitutum, de omnibus prædictis, & alijs oblationibus quocumque titulo ad Ecclesiam peruenerint, sine diminutione aliqua, integrè tertia vobis portio persoluantur.* Sic Pontifex. Licet inquam sic eius decisio habeat, non tamen generaliter procedit, quia Abbas S. Petri Spoletani probauerat plulquam quadragenariam præscriptionem. Vnde & Pontifex iubet non deduci id, quod ad necessarias expensas in dictâ Capellâ faciendas pertinebat. Quod esse contrarium iuris vtriusque dispositioni ostendens Glossa, verb. *Necessarias*, vt videri specialiter potest in *Clementina Statutum, de Electione*; & ratione aliquorum præmissa, cur nihilominus Honorius sic censuerit faciendum; ita subdit: *illa est ratio potior, quia Tertia ista integrè præscripta est, vnde integrè debet solui, & onus fabricæ incumbit Capellano de alijs partibus.* Sic *suprà* de *Præscriptionibus Cap. De Quarta.* Hæc Glossa Bernardi Parmensis, Canonici Bononiensis, & Pontificij Capellani. Sicut ergo in eo, quod ad necessarias expensas pertinet, allegari prædictum Caput nequit, nisi vbi Quadragenaria præscriptio præcessit, & legitime probata est; ita neque in alijs: cum alijs Pontifex non declaret quæ sint oblationum nomine generaliter intelligenda; sed narrationi insistent omnium enumeratorum solutionem iniungat.

33 Et in Missis quidem peculiaris difficultas est, quia cum id, quod pro ipsis dicendis relinquatur, stipendium laboris sit; non videtur rationi consonum, si eas dicens iustâ mercede fraudetur, vt paulò superius dicebamus. Vtergo resolutio prædictorum scriptorum irrefragabilis sit, aliud debet firmiter præsidium aduocari. Tunc certè probabilius, cum stipendium maius est, quàm communiter dari solitum; eo enim sine sic videtur auctum, vt iustâ Rectori manente mercede, habeat vnde possit suam Episcopo & Ecclesie reddere portionem. Quamuis quod ad Ecclesiam attinet in Indijs non inueniatur vitatum: vnde veteri tantum de more id fuisse testatur

Affertio 8. Pro legato Missarum non esse deberi certum.

P. Azor.

Cap. Cum inter vos, de verb. significat.

Illud non urgere ostenditur.

Glossa Cap. citati.

Urgetur ex stipendio Missarum eas facienti debito.